 Dona queso nimis leso optatum remedium  
 Commendare me dignare Christo tuo filio  
 Ut non cadam sed evadam de mundi naufragio.  
 Fac me mittem, pelle littem, compelle lasciviam  
 Contra crimen da munimen et mentis constanciam  
 Non me liget nec fatiget seculi cupiditas  
 Que obscurat et indurat mentes sibi subditas  
 Nunquam ira numquam dira me vincat elatio  
 Que multorum fit malorum frequenter occasio  
 Ora deum ut cor meum sua seruet gratia  
 Ne antiquus inimicus seminet zizania  
 Da virtutum michi scutum ne in bello concidam  
 Fidem rectam, spe (sic) robustam caritatem feruidam  
 Da furoris et timoris superare vicia  
 Et ut linguam sic restingam ne loquatur noxia  
 Maris stella interpella quem portasti utero  
 Ut hoc mare transmeare cursu donet prospero  
 Det timorem et amorem sui semper nominis  
 Donec pacem et fornacem extinguat libidinis  
 Castitatis pietatis munimenta conferat  
 Adsit rector et protector nec me unquam deserat  
 O preclara viam para ad supernam patriam  
 Sic me sana ut mundana gaudia despiciam  
 Quod imploro non ignoro dare te fidelibus  
 Cuius iussa inconcussa manent modis omnibus  
 Mater bona meis dona requiem parentibus  
 Necnon cunctis iam defunctis notis et affinibus  
 Hunc egenum fac ad plenum pervenire gaudium  
 Quo manere et videre tuum possim filium  
 Meos notos fac devotos piis semper actibus  
 Ut mandatis veritatis totis instent viribus  
 Mala pelle et refelle hostium uersucias  
 Spiritales et carnales compesce nequicias  
 Virgo lenis a cathenis criminum nos eripe  
 Ut soluti simus tuti victo mortis principe  
 Adiutricem et nutricem te ubique sentiat (sic)

Qui felicem genitricem dei te pronunciant  
 Maris stella de procella seculi nos libera  
 Protegendo et prebendo cuncta nobis prospera  
 Splendor patris factor matris Jesu nostra gloria  
 Da ut fiam per Mariam tua dignus gracia  
 Dominator et salvator mundi benignissime  
 Da virtutem et salutem corporis et anime  
 Ut saluti restituti te laudemus, Domine  
 Qui salvasti quos creasti natus alma virgine.  
 Pater Deus, fili deus, deus alme spiritus  
 Per eterna nos gubernas deus unus secula. Amen.

Mater Christi que tulisti sacris hunc visceribus  
 Absque viro partu miro quo pax datur gentibus  
 Huc aspectum huc affectum dirige propitium  
 Condescendens et impendens miseris auxilium  
 Virgo mitis que contritis spem largiris venie  
 Posce deum ut tropheum sue det ecclesie  
 Dona pacem et fallacem inimicum contere  
 Ne ignitis is sagittis possit nos elidere  
 Jocundare que portare meruisti Dominum:  
 Mundi lucem, vite ducem salvatorem hominum  
 Incorrupta et intacta genuisti puerum  
 Nullum tamen hinc gravamen lesit uterum  
 Alter partus grauat artus, incutit suspiria  
 Tuus fructus pellit luctus das (sic) eterna gaudia  
 Aliarum feminarum proles fletu funditur  
 Partus iste nil scit triste quando deus nascitur  
 Benedicta que delicta prime matris operis  
 Et divinam medicinam impetrasti miseris  
 Benedictus qui amictus in te carnis trabea  
 Nos erexit et revexit ad regna sydereas  
 O quam letis a prophetis es laudata vocibus  
 Hoc secretum quod completum in te est mirantibus  
 Te beatam et prelatam cunctis esse docuit

Cum suave illud ave Gabriel aperuit  
 Tu portasti et lactasti benedicta Domina  
 Que (sic) adorat que (sic) honorat trina mundi machina  
 Adorabas et lactabas Deum factum hominem  
 Qui nos lavit et salvavit suum ponens sanguinem  
 Vagientem et lactentem confovebas gremio  
 Servi ille, tu ancille functa es officio  
 Tu docentis et vescentis usa es presencia  
 Te sciente et vidente fecit mirabilia  
 Te presente et monente consecravit nuptias  
 Quando vino repentino VI implevit ydrias  
 Tu divine discipline pascerebaris gracia  
 Dum signorum et uerborum eius esses conscia  
 Quot angores quot dolores tua sensit anima  
 Cum in crucem summum ducem gens levavit pessima  
 Quot lamenta quot tormenta quanti tui gemitus  
 Cum rex celi tam crudeli morti esset traditus  
 Corde tristi pertulisti passionis gladium  
 Cum irrisum et occisum tuum cernis filium  
 Nam rex magnus velud agnus immolari voluit  
 Et per crucem nobis lucem et salutem tribuit  
 Eius pena nos ad regna provehit celestia  
 Crux virtutis et salutis certa fiducia  
 Mundum regens velud egens visus incredulis  
 Ut per formam sui normam vite daret servulis  
 Rex immensus suspensus crucis in patibulo  
 A penarum eternarum salvas nos periculo  
 Pius Jesus flagris cesus et corona spinea  
 Coronatus et prelatus transfixus lancea  
 Qui effringens chaos ingens spoliauit inferos  
 Fractis portis dire mortis vinctos fecit liberos  
 O quam leta es effecta die facta tertia  
 Cum rex fortis vite mortis protulit iudicia  
 Nam antiquum inimicum duris stringens vinculis  
 Se videndum et tangendum prebuit discipulis  
 Quis narrare quis pensare tuum possit gaudium  
 Quando mestis rex celestis pacis dedit nuncium

Unde tibi laus ascribi debet atque gloria  
 Que tantorum gaudiorum facta es materia  
 Post tot signa que tu digna meruisti cernere  
 Ad paternum vides thronum filium ascendere  
 Cui iuncta super cuncta potestatem obtines  
 Omnis poli, omnis soli supergressa ordines  
 O regina huc inclina pie mentis lumina  
 Et excusa prece fusa servulorum crimina  
 Jam sublimis facta nimis manes iuxta filium  
 Celsa sede, intercede pro salute omnium  
 Nos conforta et reporta munus indulgentie  
 Ut reformes nos enormes ad statum iusticie  
 Meis caris largiaris iam defunctis veniam  
 Et cunctorum commodorum his qui uiuunt copiam  
 Illis mecum dona precum tuarum suffragia  
 Ut moderna et eterna fruamur leticia  
 O Maria mater pia tuum da subsidium  
 Quo vincamus et vivamus in terra viventium  
 Da medelam et tutelam cunctis te colentibus  
 Pacem bonam et coronam cum supernis ciuibus  
 Pater deus, fili deus deus alme spiritus  
 Per eterna nos gubernas deus unus secula — amen.

Ave virgo que origo nobis es leticie  
 Redemptorem et actorem pariendo glorie  
 Virgo mater per quam ater spiritus occubuit  
 Quo primeva materia suggerere cortuit (sic) <sup>1)</sup>  
 Alma parens omni carens corruptele macula  
 Quam elegit qui confregit dira mortis vincula  
 Clemens presta ut qui festa tua gaudent colere  
 Gratulentur et dicentur (sic) tue lucis munere  
 Mater Christi que das tristi anime leticiam  
 Da quod quero, ut sincero corde Christo serviam  
 Mansuetum et quietum rede (sic) meum animum

---

<sup>1)</sup> Hommeyus l. c. „*Quo primaeva mater Eva suggerente corrui.*“

Ut in deum aut in meum non delinquam proximum  
 Margarita summi sita regis diademate  
 Que cunctarum graciaram es ornata stegmate  
 Maris stella, dei cella virtutisque speculum  
 Quam miratur et precatur uniuersum seculum  
 Da ut queam mentem meam emundare viciis  
 Exercendo et colendo sacris eam studiis  
 Dona inquam ut evincam temptamenta demonum  
 Nec permittas per sagittas me perire criminum  
 O decora deum ora ut det michi veniam  
 Et nec cunctos ne robustos hostes meos sentiam  
 Obtineto ut quod peto merear accipere:  
 Ut in finem non declinem a recto itinere  
 O puella que ut stella matutina radias  
 Dum nocturnas pellens umbras veram lucem nuncias  
 Curam habe ut a labe criminum purifices  
 Et qua nites tuos duces castitate supplices  
 Princeps mortis nos intortis inquietat iaculis  
 Tu resiste, ne nos iste suis trahat vinculis  
 Dona pacem per quam uacem diuinis obsequiis  
 Ne per curas perituras veris priuer gaudiis  
 Da ut gratum famulatū reddam regi glorie  
 Et ipsius amor pius mee sint delicie  
 Reos munda et circumda tuo nos presidio  
 Fac securos nos et puros ab omni contagio  
 Liberari et saluari per te nos confidimus  
 Quam clementem et potentem super omnes novumus (sic)  
 Iam predives inter cives es celestis patrie  
 Ex qua manat qui nos sanat fons celestis gracie <sup>1)</sup>  
 O sophya quam Maria incarnatam edidit  
 Nec sic florem uel decorem castitatis perdidit  
 Tibi canto nunc pro tanto laudis beneficio  
 Nam saluti restituti sumus hoc mysterio  
 Rex virtutum cuius nutum nunquam (sic) potest fallere  
 Nos tuere, atque vere lucis dita munere

<sup>1)</sup> Hommeius l. c. adfert notam „*deest aliquid*“ versus hic desideratur.

En ieiunus a te munus posco ne deficiam  
 Ut sacrarum scripturarum michi des scientiam  
 Micas panis zelud canis dari michi postulo  
 Et quod quero tuo spero te daturum servulo  
 Rex benigne fac me digne tuam matrem colere  
 Que portauit et lactauit te sacrato ubere  
 Da virtutem ut refutem omnem immundiciam  
 Fac me mitem ut devitem zelum et superbiam  
 Honestorum michi morum para eleganciam  
 Pelle dolum ut te solum pura mente cupiam  
 Jesu bone sic dispone horam mei transitus  
 Ut ad chorum electorum meus pergat spiritus  
 Pater deus, fili deus, deus alme spiritus  
 Per eterna nos gubernas deus unus secula — amen.

Dux sanctorum, spes lapsorum virgo mater domini,  
 Per quam vita restituta est perhempnis homini,  
 Gemebundo corde fundo preces ad te domina  
 Namque gravi quam paravi premor valde sarcina  
 Solve moles sicut soles quibus pressus iaceo  
 Et excusa quod confusa mente factum doleo  
 Dolor ingens me constringens vehementer crucciat  
 Culpe telum cor anhelum siquidem dilaniat  
 O quam pravi et ignavi sunt qui mundum diligunt  
 Non attendunt cui vendunt se qui Deum negligunt  
 Vere cecus et ut pecus expers sciencie  
 Quem delectat hoc quod spectat in ualle miserie  
 Nam quem fructum nisi luctum prestant mundi gaudia  
 Cuius cura gignit dura miseris supplicia  
 Parce flenti et dolenti summe rerum arbiter  
 Nam mandata per te data sunt transgressus nequiter  
 Erubesco et tabesco tuam timens faciem  
 Dum meorum delictorum perpendo congeriem  
 Ingens metus atque fletus meam turbat animam  
 Pavet sensus, dum suspensus horam pensat ultimam



Quis futurus et securus in illo examine  
 Quando patent que nunc latent arguente lumine  
 Quo dolore, quo merore deprimuntur miseri  
 Ululatus et ploratus frustra dabunt perdit  
 Cum maligni sevo igni semel erunt traditi  
 Heu quid egi quod impegi quo infelix cecidi  
 Quo deducunt quem seducunt fraudes hostis perfidi  
 Ad quid tendam ut tremendam evadam sententiam  
 Quem requiram per quem iram iudicis effugiam  
 O Maria qua sophya prodiit altissimi  
 Ut credendo et sequendo homo posset redimi  
 Formidandum redde blandum iudicem supplicibus  
 Ne iratus ob reatus sevis tradat ignibus  
 Celi scala fac me mala que impugnant vincere  
 Et in bono quod propono constanter persistere  
 Nunquam sinas in me spinas viciorum crescere  
 Que ad fructum nos virtutum doces semper cedere (sic)  
 Clemens dona ut patrona velis esse misero  
 Et sis mecum cum ad equum tribunal processero  
 Supplicando me commendo tuo patrocinio  
 Ne rex fortis dire mortis tradat me supplicio  
 Preces funde et responde pro me ante iudicem  
 Nam offense sunt immense que accusant supplicem  
 Desperarem si pensarem mea tantum merita  
 Hec audissem aut sensissem te salvare perdit  
 Mater alma tuis salva precibus hunc miserum  
 Quem subegit et confregit magna moles scelerum  
 A culparum uel penarum me salva propositis  
 Te poscentem et habentem spem in tuis meritis  
 Virgo lenis a terrenis munda nos affectibus  
 Et cunctorum delictorum nos absolve nexibus  
 Paradisi quo divisi exulamus aditum  
 Nobis pande quod ob grande nimis potes meritum  
 Illic patrem atque matrem meam fac constitui  
 Et bonorum eternorum ubertate perfrui  
 Regem celi pro fidei semper ora populo  
 Ut ab isto duce Christo eruamur seculo

Deo cara nobis para viam ad celestia  
 Ubi frui Christi tui mereamur gloria  
 Auctor mundi qui effundi tuo ventre voluit  
 Se amare et servare nobis det quod docuit  
 Pater deus, fili deus, deus alme spiritus  
 Per eterna nos gubernas deus unus secula — amen.

Celi porta per quam orta salus est fidelium:  
 Porta lucis que perducis ad perhempne gaudium  
 Virgo clara que ignara virilis consorcii  
 Meruisti esse dei mater Christi filii  
 Virgo prudens que excludens prime culpam femine  
 Gestas fractum non productum ex virili semine  
 Sume vota ne remota tuis sis supplicibus  
 Sed intende et defende nos a malis omnibus  
 Multa de te sunt prophete locuti presagia  
 Non ignari singulari te ditandam gracia  
 Nam qui nasci atque pasci tua carne voluit  
 Nec scripturis nec figuris tuas laudes tacuit  
 Prima parens sensu carens meruit interitum  
 Dum serpenti se fallenti credit gustans vetitum  
 Causa plane tu humane salutis precipua  
 Cui causa quondam clausa patet celi ianua  
 Nam spernendo et cavendo blandimina (sic) seculi  
 Quod mirum caput dirum contriuvisti sabuli  
 Serpens dirus suum virus Eve dando nocuit  
 Sed prudentem tuam mentem fallere non potuit  
 Tu primatum et ducatum gerens continentium  
 Casti gregis chorum regis per callem egregium  
 Mundi florem contra morem tui spernens generis  
 Carnis curam et naturam cohibendam fuggieris  
 Viam rectam et perfectam pandens te sequentibus  
 Ut modestis et honestis se perornent moribus  
 Nam mundana prorsus vana docuisti gaudia  
 Fugitiva et nociva falsa deceptorias

Mater Eua morte seva prolem suam perdidit  
 Tua fides qua renides nobis vitam reddidit  
 Tu preclarus es thesaurus omnium karismatum  
 Sane plenus et amenus ortus es aromatum  
 Fons redundans reos mundans aquarum viventium  
 Hanc qui non peribunt bibunt sed habent remedium  
 Fons signatus non turbatus bestiarum pedibus  
 Non confusus sed conclusus divinis uirtutibus  
 Exquisitis margaritis ornantur monilia  
 Sed tuorum plane morum maior extat gracia  
 Solent mire delinire uernantes areole (sic)  
 Quam plus grata unat <sup>1)</sup> sata celestis agricolae  
 Flores uerni solent cerni voluptate nimia  
 Tu delectas mentes rectas precellenti gracia  
 Nam si flores dant odores et decorem preferunt  
 Mox marcescunt et arescunt nec durare poterunt  
 Tuus uiror quem plus miror non est corruptibilis  
 Non marcescit nec decrescit sed est immutabilis  
 Tua fama tymiama balsamumque superat  
 Dum flagrescit mentes pascit et a morte liberat  
 Nunc dati sunt prostatti sicut dicis cantico  
 Et abiecti sunt prouecti honore mirifico  
 Uniuersus est aspersus mundus Christi gracia  
 Qui te matre sine patre natus regit omnia  
 Concubine et regine tuas laudes predicant  
 Lingue gentes iam credentes tibi rite supplicant  
 Te laudantes et mirantes pulchre Syon filie  
 Illustrari et ornari tua gaudent specie  
 Tu (sic) decoram ut auroram uniuersis preferunt  
 Te electam et perfectam te reginam asserunt  
 Que est ista tam uenusta elegans et inclita  
 Que tot donis tot coronis est uirtutum predita  
 Turturinas habens genas columbinos oculos  
 Speciosa ut columba ad aquarum rivulos  
 Cuius uita insignita cunctis est uirtutibus

---

<sup>1)</sup> l. c. uernant.

Cuius gesta sunt honesta pro cunctis viventibus  
 Que pigmentis et unguentis cunctis est suavior  
 Speciosis prorsus rosis liliisque graciosior  
 O felicem genitricem cuius sacra viscera  
 Meruere continere continentem ethera  
 Felix lectus in quo tectus rex uirtutum latuit  
 Felix venter quo clementer carnem deus induit  
 Felix sinus quo diuinus requieuit spiritus  
 Felix alvus qua sit saluus homo fraude perditus  
 Felix thorax et decorus istius puerpere  
 Quam maritus ut est ritus non presumpsit tangere  
 O mamilla cuius stilla fuit huius pabulum  
 Qui dans terre fructus ferre pascit omne seculum  
 Hac in domo deus homo fieri disposuit  
 Hic absconsus pulcher sponsus vestem suam induit  
 Hic natura vinci iura novo stupet ordine  
 Rerum usus est exclusus pariente virgine  
 Mater dei nostre spei causa et exordium  
 Posce natum ut optatum nobis det remedium  
 Istum cecum sana precum tuarum suffragio  
 Ut per viam ire sciam tuo gratam filio  
 In hac vita sic me dita donis spiritualibus  
 Dando pignus quo sim dignus gaudiis celestibus  
 De mortalis vite malis me dignanter erue  
 Et post mortem fac consortem quietis perpetue  
 Pro meorum propinquorum te salute postulo  
 Ut letentur et salventur ex omni periculo  
 O beata miserata preces meas suscipe  
 Et de malis universis nos clementer eripe  
 Pater Deus, fili Deus, dei alma caritas  
 Per eterna nos gubernata secula deus trinitas — amen.

Animarum spes lapsarum virgo mater unica,  
 Gignens regem cuius legem mundi servat fabrica  
 Porta ducis qui per crucis salvans nos mysterium

Ad sanctorum angelorum restaurat consorcium  
 Sume laudes atque grates quas devotus concino  
 Namque scio sic me pio placitum Domino  
 O beata, benedicta gloriosa Domina  
 Que divina medicina mundi purgas crimina  
 Felix mater cuius venter omni carens macula  
 Regem texit atque vexit qui gubernat secula  
 Quam sacrate quam beate manus atque brachia  
 Que paverunt que gesserunt per quem vigent omnia  
 Culpa Eve corruptele fecit nos obnoxios  
 Tu captivos adoptivos facis dei filios  
 Virgo mitis imperitis lumen da sciencie  
 Et afflictis pro delictis posce munus venie  
 Que es sola plena scola uirtutum celestium  
 Intuere et medere morbis te poscentium  
 Quis narrare quis pensare tua possit merita  
 Per quam gratis captivatis est libertas reddita  
 Non est sensus sic extensus ut tot laudes differat  
 Nec humanum os tam sanum ut tot voces proferat  
 Nullum neque nichil seque nil quod ledit continet  
 Tam decore quam honore universis premies  
 Omnes orent et honorent tuam excellentiam  
 Quamvis plene nullus bene tuam narrat gloriam  
 Licet digne tam insigne nullus laudet meritum  
 Magnum tamen est iuvamen hoc fateri debitum  
 Stella maris que preclaris emicas uirtutibus  
 Predicata et laudata a supernis civibus  
 Ab errore tuo more pereuntes libera  
 Fac redire et largire gratarum munera  
 Primum fidem nobis quidem tuis auge precibus  
 Et da nobis ut te probis imitemur actibus  
 Spe labentes firma mentes, caritate roborata  
 Fac concordem pelle sordes, excusa facinorosa  
 Jesse proles solve moles que me premunt scelera  
 Atque pacem da feracem perfectorum operum  
 Truculentus et cruentus hostis instat nimium  
 Nempe certat ut subvertat me per carnis vicium

Nunc latenter nunc patenter non cessat irruere  
 Querens artem atque partem qua possit subripere  
 Conservare me dignare gloriosa Domina  
 Et relide homicide furentis conamina  
 Sermo vanus aut insanus michi non subripiat  
 Non auditus non pruritus gule me deiciat  
 Non me tactus aut olfactus ad peccandum excitet  
 Non me visus sui risus aut furor precipitet  
 Sic nociua incentiva sopiantur corporis  
 Ut frigescant et quiescant pravi motus pectoris  
 Sit serena mens et plena spiritali gaudio  
 Illustrata et purgata vere lucis radio  
 Meum pectus sic affectus caritatis repleat  
 Ut ab eo quicquid deo displicet removeat  
 O Maria vite via plena dei gracia  
 Inter deum et hunc reum precor ut sis media  
 Funde precem ne in necem decidam perpetuam  
 Ut sim castus atque fastus huius mundi respuam  
 Ille ductor et instructor adsit michi spiritus  
 Qui te mundam et fecundam fecit esse celitus  
 Illa inquam ne delinquam me conservet gracia  
 Qua replevit te qui flevit inter tua brachia  
 Orbis rector et protector noster clementissime  
 Nos invise, ut elise convalescant anime  
 Lumen sparge tue largæ super nos clemencie  
 Atque mestis da celestis solamen leticie  
 Dei fili ex hostili serva me fallacia  
 Da ut fiam per Mariam tua dignus gracia  
 Ob amorem et honorem matris tue tribue  
 Ut cum bonis fruam donis quietis perpetue  
 Te rogamus et laudamus per ipsius meritum  
 Ut eterni nobis regni clemens pandas aditum  
 Pater deus, fili deus, deus alma caritas  
 Per eterna nos guberna secula deus trinitas — amen.

O regina quam divina preelegit gracia  
 Cuius partus sacrosanctus instauravit omnia  
 Que odorem gratiorem thure das et balsamo  
 Qua excelsus est egressus ut sponsus de thalamo  
 Mater regis per quam legis panduntur mysteria  
 Cuius natum olim uatum canebant preconia  
 Fons virtutum da ut lutum viciorum deseram  
 Mentis visum atque nisum ad superna transferam  
 Sic infundas qua redundas cordi meo gratiam  
 Ut terrena fide plena peditus despiciam  
 Mater dei cordis mei munda penetralia  
 Ac meorum labiorum dilue contagia  
 Ut peccatis expugnatis deum honorificem  
 Et a corde pulsa sorde laudes tuas predicem  
 O benigna laude digna quis te possit colere  
 Que ditari singulari meruisti munere  
 Cum aurora sit decora quando rubens oritur  
 Comparata minus grata minus pulchra cernitur  
 Luna clara quando parta nullis tecta nubibus  
 Sed maiorem tu fulgorem p . . . is <sup>1)</sup> infers mentibus  
 Cunctis horis lux fulg . . . . . <sup>2)</sup> nos letificat  
 Nam vix una nocte luna . . . . . <sup>3)</sup> emicat  
 Luna plena sic amena sed defectum patitur  
 Modo patens modo latens nunquam staret (sic) noscitur.  
 Tu chorrusca nunquam fusca nostri dux itineris  
 Non obtecta sed electa sicut sol aspiceris  
 Est revera solis spera mira luce predita  
 Sepe tamen ob velamen nobis est abscondita  
 Tu preclara namque rara, cuncta supergrederis  
 Que nec tectum nec defectum aut occasum pateris  
 Tota munda et iocunda, tota es mirabilis  
 Tibi vita nec audita nec est visa similis  
 Ciues poli tue proli semper cantant gloriam

<sup>1)</sup> Hommejus habet: *puris* locus hic quemadmodum et sequentes in autographo deleti punctis distinguuntur.

<sup>2)</sup> fulgoris tui.

<sup>3)</sup> super terram.

Venerantes et mirantes tuam excellenciam  
 Angelorum nempe chorum dignitate superas  
 Principatus potestates et virtutes ceteras  
 O quam grata et beata tua est memoria  
 Actiones et sermones tui sunt remedia  
 Cuncta recta et perfecta cuncta sunt salubria  
 Ex his venit que nos lenit vitalis flagrantia  
 Gratulamur et conamur laudes tuas canere  
 Quamvis totum cor devotum nequeat exprimere  
 Sic densa sic immensa laudis tue copia  
 Ut profunda et facunda succumbant ingenia  
 Nemo prebet quantas debet laudes tue glorie  
 Qua processit qui repressit actorem malicie  
 Benedicta que relictæ vana carnis gloria  
 Eternorum gaudiorum extitisti nuncia  
 Benedictus qui afflictus crucis in patibulo  
 Nos salvavit et donavit pacem suo populo  
 Virgo meritis infinitis predicanda laudibus  
 Tuum natum fac placatum cunctis te colentibus  
 Da perfectum intellectum quo devitem noxia  
 Fac me nosse et da posse que sunt utilia  
 Curam gere ut sincere conuersari studeam  
 Et devotus carnis motus spiritu coherceam  
 Mater agni qui tyranni victor cepit spolia  
 Quo elisi paradisi caremus letitia  
 Noxas dele parentele mee tuis precibus  
 Et da cunctis michi iunctis frui bonis omnibus  
 Virgo sancta mater casta David proles inclita  
 Pia prece nos de nece peccatorum suscita  
 Proles Jesse per quam fesse roborantur anime  
 Fac nos fortes et cohortes tenebrarum reprime  
 Ab his telis tuos velis supplices defendere  
 Quibus perit quisquis querit carni satisfacere  
 Virgo lenis nos a penis salva gehennalibus  
 Nec substerni nos inferni sinas cruciatibus  
 Vitam letam et quietam fac nos semper agere  
 Ut virtutis et salutis gaudeamus munere



Supplex oro ut in choro te sanctorum videam  
 Et divine sine fine dono lucis gaudeam  
 Jesu Christe per quem iste mundus primo factus est  
 Homo deus per quem reus homo liberatus est  
 Metuende rex defende nos a malis omnibus  
 Redde vicem hanc felicem Mariam colentibus  
 Ut restaures nos hec aures tuas pulset precibus  
 Hec sustentet et presentet tuis nos aspectibus  
 Rex eterne pio cerne supplices intuitu  
 Et illustra corda nostra tuo sancto spiritu  
 Propter illam que mamillam tibi dedit parvulo  
 Munimentum et augmentum tuo presta populo  
 Pastor bone a leone tuas oves libera  
 Et cum illis que in celis gaudent nos annumera  
 Regi magno laus et agno, patri atque filio  
 Flaminique qui utrique compar est imperio.

Beatarum feminarum virgo beatissima:  
 Illum gerens qui nos querens visitavit infima  
 Regis mater cuius pater non cognovit feminam  
 Mater eius mundi huius qui gubernat machinam  
 Que celesti adimplesti totum orbem dogmate  
 Nos emunda quo fecunda facta es karismate  
 De terreno fac me ceno nisu mentis surgere  
 Atque totum meum votum ad summa dirigere  
 Ut non segnis summis regnis admisceri studeam  
 Ne ab istis exul tristis sine fine maneam  
 O beata flant grata nostra tibi cantica  
 Nec sit vilis hec exilis tibi laus et modica  
 Grates solvo dum revolve quanta nobis feceris  
 Dum perpendo quam horrendo malo nos subtraxeris  
 Crimen Eve fecit breve vite nostre spacium  
 Infinite per te vite nobis datur gaudium  
 Non est iustum tam venustum opus et piissimum  
 Oblivisci quod addici convenit potissimum

Immo vere hoc silere magnum est periculum  
 Quo purgari et salvari constat omne seculum  
 Predicandus et laudandus tui fructus uteri  
 Tua gesta manifesta debent cunctis fieri  
 Gabrielis est de celis ad te factum nuncium  
 Quod completum hosti metum nobis dat presidium  
 A preclara missus aula sublimique solio  
 Fert secreta que repleta sunt perhempni gaudio  
 Sic legatus destinatus ob regales nupcias  
 Petit terras, ut supernas . . . . . <sup>1)</sup> amicitias  
 Ad terrenas officinas est elapsus ethere  
 Dei nutum et statutum tibi curat pandere  
 Ad te tendens que resplendens eras styrye regia  
 Deo cari et preclari regis David filia  
 Mente mitis margaritis graciaram preclara  
 Nulli nocens, omnes docens, vita Deo placita  
 Iam adulta et inculta non mente sed corpore  
 Sancta vultu, sancta cultu prorsus sancta pectore  
 Primis annis plena magnis thesauris sciencie  
 Deo cara et ignara tocius malicie  
 Vincens sexum, et complexum carnalem despiciens  
 Deo placens sui tacens, suum os aperiens  
 Corde prudens semper studens legis observancie  
 Ex his sane non humane laudem querens glorie  
 Accione et sermone inreprehensibilis  
 Et cunctarum graciaram fulgore mirabilis  
 Divinorum secretorum lator ad te properat  
 Fert archanum quod humanum genus fide liberat  
 Nec silendum quam stupendum honorem exhibuit  
 Te mirante, nam hoc ante nulla nec post meruit  
 Hic legatus est testatus cunctis te precellere  
 Plane quando te mirando salutavit genere  
 Pandit ore cum honore quod futurum noverat  
 Et declarat quod rex parat qui te obsecrauerat  
 Salutavit, nunciavit dei beneficium

---

<sup>1)</sup> Hommejus l. c.: *pandat*.

Ore blando declarando quod haberes filium  
 Primum ave post suave depromit mysterium  
 Quod est ingens et pertingens ad salutem omnium  
 O Maria deo digna plena inquit gracia .  
 Benedicta et beata secula per omnia  
 Amans deum apud eum invenisti gratiam  
 Qua repleta eris leta prolem gignens regiam  
 Ne formides sola fides dabit tibi filium  
 Contra morem salvatorem generabis omnium  
 Mater eris et diceris omnis orbis domina  
 Eris parens sed non carens castitate pristina  
 Ne turberis ne mireris audiens quod paries  
 Gignes quidem sed ut pridem uirginem te senties  
 Appetitus et pruritus carnis ignorabitur  
 Partum tamen in te flamen sanctum operabitur  
 Summa virtus atque sanctus te replebit spiritus  
 Et cunctorum seculorum rex tuus sic genitus  
 Eris pregnans namque regnans in eternum Dominus  
 Sumet corpus per quod opus mundi tollet facinus  
 Sic salvabit quem purgabit a peccatis populum  
 Regnaturus et daturus regnum his in seculum  
 Exultabunt et laudabunt te fideles femine  
 Erunt omnes nationes tuo salve germine  
 Credidisti quod audisti mente devotissima  
 Ante partum et post partum manens integerrima  
 Ut scripture predixere facta es puerpera  
 Jam cum nato coronato regnas super ethera  
 Uniuerse iam conuerse gentes te magnificant  
 Te precantur te mirantur ac devote predicant  
 Sunt celestes chori testes quibus es preposita  
 Te cunctorum electorum transcendisse merita  
 Totus orbis te pro morbis et necessitatibus  
 Deprecatur ut fruatur optatis successibus  
 Te laudamus et rogamus feminarum gloria  
 Tuam prolem verum solem nobis reconcilia  
 Nos conserva ne caterva ledat aduersantium  
 Atque cecis tue precis porridge subsidium

Preces funde ne immunde succumbam cupidini  
 Ut mens mea non sit rea in conspectu Domini  
 Stella maris que ignaris subvenis et perditis  
 In hoc valo nos a malo tuis salva meritis <sup>1)</sup>  
 Nec amaris patiaris absorberi fluctibus  
 Qui extollunt atque colunt te devotis mentibus  
 Virgo mitis ab ignitis iaculis me libera  
 Quibus cadunt qui non vadunt tua per itinera  
 Gemebundus fero pondus culparum ingentium  
 His solutum ad uirtutum trahe me fastigium  
 Alma virgo supplex rogo tuam excellenciam  
 Ut eternam per te cernam tui nati gloriam.

O Messia de Maria nate semper virgine,  
 Qui purgasti et salvasti mundum tuo sanguine,  
 Actor vite nobis mitte veritatis spiritum  
 Ut sciamus et agamus quod est tibi placitum  
 Da virtutem ut immutem usum pravi operis  
 Dona inquam ut relinquam cursum vite veteris  
 Rex immense me recense in terra viventium  
 Nec sis memor quibus premor peccatorum omnium  
 Culpas lava quibus praua sordet conscientia  
 Ut sincera mente uera comprehendam gaudia  
 Nec in lacum me opacum permittas descendere  
 Quo mittuntur qui premuntur peccatorum pondere  
 Lux eterna sic gubernata quos vocasti filios  
 Ut incestus atque questus <sup>2)</sup> devitemus noxios  
 Judex juste rogamus te ut des cunctis veniam  
 Qui Marie matris tue diligunt memoriam  
 Sit divine sine fine decus atque gloria  
 Majestati qua creati sumus nos et omnia — amen.

---

<sup>1)</sup> Versus hic deest in Homm: Suppl. Patr.

<sup>2)</sup> Homm: l. c. *ut incessus atque gressus.*

Virgo splendens que transcendens electorum ordines  
 Magistratum et primatum sanctitatis obtines,  
 Que enixa non amissa castitate Dominum  
 Via pacis ire facis nos ad patrem luminum  
 Stella maris que testaris erroris itinera  
 Relinquenda et agenda nove lucis opera  
 Fons uirtutum sic pollutum meum os opifices  
 Ut favore digna fore mea verba iudices  
 Importunus et indignus tuis sum preconiiis  
 Cum obsessus et oppressus multis sim flagitiis  
 Tamen spero quod non ero expers voti penitus  
 Si te colam per quam solam est ad vitam reditus  
 Benedicta cuius vita summo regi placita  
 Hostem stravit, culpam lavit, restauravit perditam  
 Mater dei preces ei funde que nos muniat  
 Preces funde ut secunde queque res eveniat  
 Tuas preces efficaces esse nunquam ambigit  
 Quisquis illum quem pusillum lactavisti diligit  
 Virgo lenis a venenis me draconis libera  
 Cuius doli celsa poli labefactant sydera  
 Pensa pensa qua immensa carnis sit fragilitas  
 Quam iniquum inimicum nostra fert humanitas  
 Dei aula circumvalla tuo nos munimine  
 Reos solve, justos fove imbecilles sustine  
 Mediatrix et salvatrix infirmarum mencium  
 Fave votis dans egrotis optatum remedium  
 Cecis lumen et acumen caligosis repara  
 Leva pressos iuva fessos merentes exhilara  
 Egenorum et uinctorum consolare gemitum  
 Peregrinis et captivis gratum posce reditum  
 Et letantes navigantes veniant ad litora (sic)  
 Violentos claude ventos mota sedans equora  
 Inimicos fac amicos et benignos invicem  
 Ut non grauem sed suavem sentiamus iudicem  
 Pro iudeis licet reis tuum roga filium  
 Ut agnoscant hunc et poscant ejus adjutorium  
 O magistra et ministra vere sapientie

Fac me rectum et perfectum in via iusticie  
 Posce natum ut reatum meum ipse deleat  
 Et implora ut in hora mortis nil me terreat  
 Ora regem ut sic legem ipsius custodiam  
 Ut ex mundo transeundo letus hunc aspiciam  
 O beata sic peccata tuis dele precibus  
 Que commisi paradisi ut quiescam sedibus  
 Te colentes fac gaudentes cuncta pellens noxia  
 Et procura ut mansura perfruamur gloria  
 Maris stella sic compella aures summi iudicis  
 Ut nos festis rex celestis societ angelicis  
 Ut in sorte et cohorte supernorum civium  
 Numeremur et letemur in terra viventium.

Vite dator et plasmator ac redemptor hominis,  
 Clavis David quem portavit uenter alme uirginis  
 Benedicte rex dimitte cuncta michi debita  
 Que contraxi nam hec auxi semper agens vetita  
 Heu quam male spiritale baptismi mysterium  
 Violavi, nam fedavi me per omne vicium  
 Male feci quod subieci me pravis spiritibus  
 Serviundo et favendo sceleratis factibus  
 Fili dei cordis mei dissipa caliginem  
 Ne descendam in horrendam inferni voraginem  
 Interuentu et obtentu matris tue virginis  
 Me timore et amore tui reple nominis  
 Pius esto et memento quid pro nobis feceris  
 Pro indignis et malignis quanta sustinueris  
 Preces audi et custodi nos a cunctis hostibus  
 Exoratus et placatus matris tue precibus  
 Intercedat hec et reddat nobis te placabilem  
 Que portavit atque pavit lacte factum humilem  
 Propter eam queso meam munda conscientiam  
 Ne offendam reverendam vultus tui gloriam  
 O beate pietate tua me iustifica

Quid gerendum quid dicendum michi semper indica  
 Deus homo fac de domo nos exire carceris  
 Et iam dones mansiones quibus ipse cerneris  
 Tuum vultum nunc occultum tuis iam fidelibus  
 Manifesta atque presta pacem te colentibus  
 Fac intrare nos preclare tue domus atria  
 Atque bonis mansionis nos superne sacia  
 Tibi nato cum beato patre laus et gloria  
 Flaminique qui utrique compar est per omnia.

Laus fidelis Israelis uirgo plena gracia  
 Que dum paris non priuaris uirginali gloria  
 Quam prescitam et electam Deus ante secula  
 Benedixit et promisit per natum oracula  
 Jesse virga sic nos purga viciorum sordibus  
 Ut remotis hiis (sic) devotis te laudemus mentibus  
 Insensatos et ingratos esse dei graciae  
 Se ostendunt qui non reddunt laudem tue glorie  
 Sese fraudat qui non laudat genitricem domini  
 Qui non orat hanc ignorat quid sit datum homini  
 Precor ergo sacra virgo ut meum obsequium  
 Sit acceptum, nec ineptum sit laudantis studium  
 Benedictus sit beatus tui fructus uteri  
 Cuius dono pax humano restauratur generi  
 Quam iocundum lux in mundum venit indeficiens  
 Carne sumpta ex innupta matre nobis oriens  
 Res novella, quod puella regem nostrum genuit  
 Regem magnum, nec sic dampnum pudoris sustinuit  
 Quam sacrata et beata genitricis ubera  
 Ex qua natus et lactatus est qui regit sydera  
 O mamille quibus ille parvulus nutritus est  
 Jussu cuius mundi huius ornatus perfectus est  
 Prothoplasti culpa cuncti gloriam amisimus  
 Per consortem eius mortem geminam incurrimus  
 Per Mariam dum Messiam eius natum sequimur

Immortales et equales angelis efficimur  
 Dei mater fac gratanter tua nos sollempnia  
 Celebrare et vitare carnis desideria  
 Virgo mitis impeditis libertatem postula  
 Pelle falsa et relaxa delictorum vincula  
 Maris stella, seda bella, seda malos homines  
 Ne nos mergant aut dispergant mundi huius turbines  
 In hoc mari dominari non permittas spiritus  
 Quibus mentes imprudentes subruuntur funditus  
 Ex hoc freto tuo peto erui presidio  
 Et postremo in supremo collocari gaudio  
 Iter tutum per uirtutum gradus michi prepara  
 Pressum leva, ne in seua miser ruam tartara  
 Magnum honus (sic) gesto pronus culparum congerie  
 Onus grave quod est prave pena conscientie  
 Audiendo et videndo uerbis et operibus  
 Me destruxi et seduxi variis erroribus  
 Virgo clemens tuam gemens precor excellentiam  
 Ut cunctorum delictorum michi poscas veniam  
 Mater bona mente prona deprecor ac supplico  
 Da uirtutem ut non nutem impetu demonico  
 Te requiro ut a diro hoste me custodias  
 Et coronam sempiternam michi dari facias  
 Sit voluntas, nam facultas tuum velle sequitur  
 Quicquid voles tua proles dare non morabitur  
 Virgo pulchra fulgens ultra cuncta celi sydera  
 Postulamus ut sumamus per te vite munera  
 Curam gere, ut videre mereamur filium  
 Quere pacem ne minacem vibret in nos gladium  
 Meam vitam fac munitam fide et operibus  
 Ut ad cenam intrem plenam bonis immortalibus  
 Dei uerbum qui superbum cruce vincens zabulum  
 Expiasti prothoplasti noxam tuum populum  
 A malignis pro indignis patiens crudelia  
 Ut terrenos et egenos sublimares gloria  
 Rex celestis sic modestis me perorna moribus  
 Ut bonorum eternorum dignus sim muneribus



Munimentum sit credentum eius intercessio  
 Que te pavit et gestavit sacrosancto gremio  
 Reis parce qui ab arce missus es etherea  
 Carne sumpta ut corrupta restaurares terrea  
 Tua mundet et fecundet corda nostra gracia  
 Ut virtutum ferant fructum expellendo vicia  
 Innocenter et prudenter fac nos cuncta gerere  
 Ne phantasma tuum plasma possit ullum fallere  
 Fac me cautum atque promptum in hoc vite stadio  
 Ut post fletus fruar letus summe pacis bravo.

Stella maris singularis mater excellentie,  
 Que post natum principatum tenes sanctimonie  
 Mater nati summi patris ex qua nasci genitus  
 Et dignatus per quem datus est ad vitam reditus  
 Roga Christum ut auditum prebens te colentibus  
 Nos gubernet et exornet gracia muneribus  
 Salve uirgo que nos iugo absolvisti criminis  
 Quo ligavit nos et stravit primi lapsus hominis  
 Jesse virga omnis lingua debet te percolere  
 Tibi gentes debent grates atque laudes reddere  
 Nam dum uerbum sempiternum summi patris generas  
 Tuo partu a reatu nos antiquo liberas  
 Reges multi atque iusti per divinam gratiam  
 Inspirati tui nati poscebant presentiam  
 O beata revelata te per nunc prophetyca  
 Sunt secreta et impleta legis prisce mystica  
 Virga florem contra morem atque fructum arida  
 Germinavit que signari quod flores grauida <sup>1)</sup>  
 Tu nimirum nunquam virum fassa prolem regiam  
 Edidisti nec sensisti pariens tristiciam  
 Stella maris que dum paris non perdis signaculum  
 Castitatis a peccatis tuum solve servulum

---

<sup>1)</sup> Homm. l. c. *germinavit, quae signavit quod tu fores gravida.*

Virgo splendens que ascendens sicut fumi uirgula  
 Procedentis ex pigmentis, omni cares macula  
 Fit salutis causa cunctis quod te Deum credimus  
 Genuisse et mansisse uirginem asserimus  
 O Maria prece pia nobis fer auxilium  
 Cuius nomen sit solamen miseris et gaudium  
 Nomen sanctum per quod planctum eternum evasimus  
 Nomen bonum per quod donum salutis accepimus  
 Jesse virga tuum roga benedictum filium  
 Ut nos servet et enervet fraudes aduersancium  
 O beata, postulata nobis clemens obtine  
 Redde tutos et exutos nos ab omni crimine  
 Dei mater incessanter nobis posce veniam  
 Et cunctorum commodorum confer affluentiam  
 Aufer bella et flagella, famem, pestem, gladium  
 Tribulatis pietatis impende solatium  
 Pax et quies nostros dies faciant letissimos  
 Ne languores an merores nostros grauent animos  
 Mater bona nobis dona tuum patrocinium  
 Ut regnemus et laudemus tuum semper filium  
 Factor orbis qui pro nobis natus es ex femina  
 Crucis pena aliena qui purgasti crimina  
 Ad te clamo ut ex hamo me peccati liberes  
 Et corone sempiterne donativo muneres  
 Matris prece me de nece quam formido libera  
 Pelle metum, fac me letum cuncta sana uulnera  
 Rex virtutum fac devotum me in tue laudibus  
 Genitricis que pudicis gessit te visceribus  
 Eius laudes contra fraudes inimici faciant  
 Nos invictos et afflictos a malis eripiant  
 Rex perhempnis fac me regnis gaudere celestibus  
 Cum amicis genitricis tue sanctis precibus  
 Inter oves quas tu foves pietatis gracia  
 Me recense, atque mense tue bonis sacia  
 Illibate matris nate Christe spes fidelium  
 Da cum sanctis ignorantis finem regni gaudium

Tibi nato cum beato patre laus et gloria  
 Flaminique qui utrique compar est per omnia.

Mater dei per quam rei consecuntur veniam  
 Que vicisti maledicti serpentis astutiam  
 Benedicta fac nos ita tua festa colere  
 Ut venturam per te iram possimus evadere  
 O insignis ut te dignis valeamus laudibus  
 Venerari fac mundari nos a culpis omnibus  
 Te laudare predicare atque benedicere  
 Delectantur qui conantur ad summa pertingere  
 Nam et ipsi quondam missi celi cives incliti  
 Congaudebant nec tacebant quanti esses meriti  
 Virgo felix per quam celis atque terris gaudium  
 Est tributum que virtutum gemmis fulges omnium  
 Deprecare ut vitare nos peccata faciat  
 Rex eternus ne infernus post mortem degluciat  
 Virgo sancta cerne quanta perferamus iugiter  
 Temptamenta et sustenta nos ut stemus fortiter  
 Heu quid feci cur me neci tradidi perpetue  
 Vanitate captus vite brevis et exigue  
 Quantis visus sum elisus et auditus lapsibus  
 Gustus, tactus, et olfactus vulneratus sensibus  
 Virgo mitis, ad te tristis et merens confugio  
 Meliorem ad languorem curam non invenio  
 Te rogare singulare lapsis est remedium  
 Sanitatis vulneratis per quam datur gaudium  
 Te requirat qui suspirat pressus mole criminum  
 Habens ratum quod placatum reddes ei dominum  
 Deo vineta potes cuncta dare te rogantibus  
 Cum benignis et malignis imperes spiritibus  
 Que seductis spes salutis esset aut solatium  
 Si non nobis factor orbis daret hoc remedium  
 Si divina medicina defuisset . . . . . ')

---

1) Homm. l. c. *vulneri*.

Quid facturi quo ituri nos eramus miseri  
 Mater prima nos ad ima suo traxit crimine  
 Nunc reatus est ablatas tue prolis sanguine  
 Nunc regressus est concessus ad superna gaudia  
 His qui uincunt et relinquunt mundi desideria  
 Cunctis sanctis es pro tantis grata beneficiis  
 Cunctis clara et preclara magnis priuilegiis  
 Virgo mitis a delictis nos emunda precibus  
 Ut purgati simus apti iungi celi civibus.

Lumen verum factor rerum mundi rector fabrice  
 Tot procellis, tot flagellis nos afflictos respice  
 In diebus nostris rebus nos secundis sustine  
 Et custodi nos ab omni incorruptos crimine  
 Fide muni nos et uni karitatis munere  
 Nullus terror, nullus error possit nos subvertere  
 Rex eterne a gehenne salva nos supplicio  
 Quos peccato solvis, dato mortis tue precio  
 Prece matris, nos ab atris, libera spiritibus  
 Ne cum ipsis pro commissis dampnemur reatibus  
 Jesu bone visione tua nos letifica  
 Sic gubernas nos ut regna consequamur celica  
 Tibi nato cum beato patre laus et gloria  
 Flaminique qui utrique compar est per omnia. amen.

O salutaris virgo, stella maris  
 Generans prolem equitatis solem  
 Lucis actorem retinens pudorem  
 Suscipe laudem.

Celi regina per quam medicina  
 Datur egrotis gracia devotis,  
 Gaudium mestis, mundo lux celestis,  
 Spesque salutis.

Aula regalis, virgo specialis,  
 Posce medelam nobis et tutelam,  
 Suscipe vota precibusque cuncta  
 Pelle molesta.

Virtutum chori summo qui rectori  
 Semper astat et jubilat  
 Ovis remote memores estote,  
 Nosque juvate.

Felices estis patrie celestis  
 Cives cunctorum nescii malorum,  
 Que nos infestant miseramque prestant  
 Undique vitam.

Unde rogamus atque supplicamus,  
 Ut foveatis atque muniatis  
 Vestros conservos quorum rex super nos  
 Cum patre regnat.

Patriarcharum atque prophetarum  
 Pollens senatus diluat reatus  
 Sedens in thronis renitens coronis  
 Vestibus albis.

Ordo sanctorum nos apostolorum  
 Regat docendo foveat regendo  
 Votis intendant supplices defendant  
 Vincula solvant.

Pacis augmentum poscat innocentum  
 Grex candidatus, quos rex perturbatus  
 Iussit necari metuens privari  
 Culmine regni.

Triumphatores mundi qui terrores  
 Fide vicerunt, gloriam spreverunt  
 Nobis suorum prestant triumphorum  
 Gaudia secum.

Impetret votum chorus sacerdotum,  
 Nec non cunctorum cetus confessorum  
 Omnes qui gratum deo famulatum  
 Exhibuerunt.

Grege virginalis oret ut de malis  
 Seculi presentis simul et sequentis  
 Eripiamur et que postulamus  
 Accipiamus.

Universorum cunei sanctorum  
 Celo regnantes audiant rogantes,  
 Quibus adiuti mereamur uti  
 Luce perhempni.

Omnes electi compotes effecti  
 Vite beate dominum rogate,  
 Nobis ut letam donet et quietam  
 Ducere vitam.

Prestet levamen nobis et iuvamen  
 Quo mundi fluctus gehenneque luctus  
 Sic evadamus, ut quod perobtamus  
 Optineamus (sic).

Lux sempiterna pie nos gubernata  
 Pater ac nate parque deitate  
 Spiritus sancte deus unus ante  
 Secula trinus — amen.

Explicit egregium Bernadi monachi opus.











